



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. II. An lex injusta ex parte rei præceptæ inducat obligationem  
conscientiæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

non violaturus cæteroquin hanc æternam legem Dei, nisi violaretur lex humana.

§. II.

An lex injusta ex parte rei præcepta inducat obligationem conscientia?

241. **T**Riplici de causa lex potest esse injusta 1. ex parte rei præcepta, cum præcipit, quod contrarium est bonis moribus, vel bono communi; 2. ex parte præcipientis, cum in eo deficit potestas ferendi talem legem; 3. ex parte subditorum, quando deficit fundamentum, & ratio, propter quam lex illis imponitur; quo posito: Resp. legem injustam ex parte rei præcepta, quæ scilicet contraria est juri naturali, & divino, nullam inducere obligationem conscientia. Ratio est, quia hoc ipso non est lex; cum de ratione legis sit, quòd justa sit secundum ordinem rectæ rationis, ut dictum est n. 84. alioquin daretur obligatio ad peccatum formaliter. Idem dicendum venit, quando res præcepta adversatur bono communi, cujus utilitas, & commodum, directè intendi debet à lege, ad hoc, ut lex sit, juxta n. 91. Nam in hoc bono directè querendo fundatur potestas legislativa, in quantum pollet virtute inducendi obligationem conscientia, nimirum in ædificationem, non in destructionem, & ruinam Reipublicæ, cujus illi regimen à Deo commissum est.

242. Ex hoc colliges, quando constat per legem conditam, seu potius jussionem ejus, qui alijs præpositus est ad illius Reipublicæ conservationem; principaliter, & directè quæri bonum privatum, cum onere, & detrimento communitatis, nullam induci obligationem conscientia in subditos; sic enim eajussio, seu lex, non foret lex; quia non foret justa ex parte rei præcepta; tametsi aliàs ea res præcepta, etiam à subditis executioni data, non esset peccatum. Idem à fortiori sequitur, quando res præcepta directè tendit ad id, quod bono communi positivè nocivum est; quod frequenter fit, ubi Præpositi locorum condunt leges directè faventes utilitati Potentiorum, amicorum, consanguineorum, vicissim obsequia præstitutorum &c. magno populi, & majoris partis subditorum detrimento; qualiter fit edictis publicis excludendo exteros à vendendis mercibus

Tom. I.

leviori pretio, ut illi patci suas distrahant graviore, & lucrò suo; egenis tantò pretio destitutis &c.

§. III.

An lex injusta ex parte præcipientis inducat obligationem conscientia?

243. **R**esp. negativè; quia lex humana, in quantum inductiva obligationis conscientia, debet procedere à Superiore, quæ tali, hoc est, munito potestate legislativa in tali materia, & respectu talium personarum; ergo dispositio, quæ non procedit à Superiore, quæ tali, non est lex; ergo, ubi talis dispositio est injusta ex parte præcipientis, non inducit obligationem conscientia: excipe tamen, nisi in certis casibus, amore boni communis, hanc potestatem suppleat is, à quo id pendet; qualiter interdum contingit, cum quis occultò laborat impedimentò, propter quod est incapax muneris, & officij, quod gerit, dependenter à quo cæteroquin habenti tale munus legitimè, talis potestas jure competit, de quo agitur in l. Barbarius ff. de offic. Prætor.

244. Ex hoc defectu multæ hominum dispositiones, quas tanquam leges observari volunt, injustæ, consequenter nullæ sunt, & omni virtute carent in conscientia ligandi eos, in quos feruntur. Cujus ratio est, quia nulla jurisdictio extendere se potest ultra limites, ut dicitur l. ult. ff. de jurisdict. omni. jud. Cum enim statutum summat vires à potestate statuentium, per c. à nobis 1. de sent. excommunicat. ubi in disponente, vel statuente non est potestas disponendi, vel statuendi aliquid de tali re, vel in talem personam, dispositio, vel statutum, viribus caret.

245. Et ideo leges sæculares, quæ generatim latae sunt, per se, & ex objecto imponentes onus, seu gravamen, aut derogantes juri acquisito, ad personas, & res Ecclesiasticas se non extendunt; ita Bartolus in l. cunctos populos q. 5. n. 28. C. de SS. Trinitate Andreas Gaill. l. 2. observat. 32. Imola in c. 1. de Summa Trinit. Sylvester V. lex q. 15. Suarez l. de Eccles. immunitate c. 2. 2. & alij communiter. Nam quatenus extendunt se ad personas, & res Ecclesiasticas, injustæ sunt ex parte præcipientis; nimirum defectu potestatis ferendi leges, quibus li-